

# Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

## **M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus**

Continens Orationum Volumen Primum

**Cicero, Marcus Tullius**

**Venetiis, 1583**

M Tvllii Ciceronis Pro Q Roscio Comoedo Oratio III

[urn:nbn:de:gbv:45:1-764059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-764059)







## O R A T I O

**N**IMIVM cito ait me indignari de tabulis nō habere se hoc nomen in codice accepti et expensi relatu confitetur, sed in adversariis patere contendit. Usque eo ne te diligis, & magnifice circumspicias, ut pecuniam non ex tuis tabulis, sed adversariis petas: suum codicem testis loco recitare, arrogantiae est: suarum percriptionum, & liturarum adversaria proferre, non amentia est? quod, si eandem vim, diligentiam, auctoritatemque habent adversaria, quam tabulae: quid attinet codicem instituire, conscribere? ordinem conservare? memoriae tradere litterarum vetustatem? sed, si, quod adversariis nihil credimus, iccirco codicem scribere instituimus: quod etiam apud omnes leve, & infirmum est, id apud iudicem graue, & sanctum esse ducetur? quid est, quod negligenter scribanus adversaria? quid est, quod diligenter conscribamus tabulas? qua de causa? quia haec sunt menstrua, illae sunt aeternae: haec delentur statim, illae seruantur sancte: haec parui temporis memoriam, illae perpetuae existimationis fidē & religionem amplectuntur: haec sunt deiecta, illae in ordinem coniectae. itaque adversaria in iudicium protulit nemo: codicem protulit. tabulas recitavit: tu, C. Piso, tali fide, uirtute, grauitate, auctoritate ornatus, ex adversariis pecuniam petere non audeas. ergo, quae clara sunt con-

suetudine, diutius dicere non debeo: illud uero, quod ad rem uehementer pertinet, quaero: Quam pridem hoc nomen, Fanni, in adversaria retulisti? erubescit: quid respondeat, nescit: quid fingat extemplo, non habet. sunt duo menses iam, dices: tamen in codice accepti & expensi referri debuit. amplius sunt sex menses: cur tamdiu iacet hoc nomen in adversariis? quid, si tandem amplius triennium est? quo modo, cum omnes, qui tabulas conscribant, menstruas patenter rationes in tabulas transferant, tu hoc nomen triennium amplius in adversariis iacere pateris? utrum cetera nomina in codice accepti & expensi digesta habes, an non? si non, quo modo tabulas conscribis? si etiam: quamobrem, cum cetera nomina in ordinem referrebas, hoc nomen triennio amplius, quod erat in primis magnum, in adversariis relinquebas? nolebas sciri, debere tibi Roscium: cur scriberas? rogatus eras, ne referres: cur in adversariis scriptum habebas? Sed, haec quamquam firma esse uideo: tamen ipse mihi satisfacere non possum, nisi a C. Fannio ipso testimonium sumo, hanc pecuniam ei non deberi. magnum est, quod conor: difficile est, quod polliceor: nisi eundem & adversarium, & testem haberit Roscius, nolo uincat.

## EXPLANATIO

**I**NDIGNARI? indignantis haec esse, quis non intelligit? Pro dii immortales, esse ne quemquam tanta audacia praeditum, qui, quod nomen referre in tabulas timeat, id petere audeat? Et reliqua. Quare, cur Budaeo magis placere debuerit, indagare, causam esse nullam uideo? **VSQUE** eo ne te diligis? tantum ne tibi tribuis. **MAGNIFICE circumspicias**.? imaginem quandam retulit eorum, qui se ipsi nimis diligunt. **ADVERSARIA**? in quibus consule dierum singulorum acta perscribuntur: & si quis in eo peccet, fraudi ei non est: idem, si quid in tabulis, idest in codice, committat, non impune fert. Quod ueteres Adversaria, Diarium hodie dicimus. **ORDINEM conservare**? qui non conseruatur in adversariis. **MEMORIAE tradere litterarum uetustatem**? ideo enim scribuntur tabulae, ut perpetuo conseruentur: adversaria uero, ut post mensem conscribantur. **APUD omnes**? adversariis enim nemo credit. **DEIECTA**,? perturbata, ordine neglecto. **CODICEM protulit**? uerbum uidependeat, obscurum uidetur: sed ex, Nemo, quod proxime dictum est, elicitur affirmatio. sic lib. II. de Orat. Nemo extulit eum uerbis, qui ita dixisset, ut, qui adesset, intelligerent, quid diceret, sed contempsit eum, qui minus id facere potuisset. Horatius Sat. I.

Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi fortem

Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa

Contentus uiuat, laudet diuersa sequentes.

Nam, Laudet, affirmationem perspicue postulat. Plura attulimus exempla, in ep. ad Cornificium, lib. XII. **REFERRI debuit**.? si quidem adversaria solent esse menstrua.

## O R A T I O

**P**ECUNIA tibi debebatur certa, quae nunc petitur per iudicem, in qua legitima parisi sponsio facta est. hic tu si amplius HS nummo petisti, quam tibi debitum est; causam perdidisti: propterea quod aliud est iudicium, aliud est arbitrium. iudicium est pecuniae certae, arbitrium incertae, ad iudicium hoc modo uenimus, ut totam litem aut obtineamus, aut

amittamus: ad arbitrium hoc animo adimus, ut neque nihil, neque tantum, quantum postulauimus, consequamur. eius rei ipsa uerba formulae testimonio sunt. quid est iudicio? directum, asperum, simplex: SI. PARET. HS. 1000. DEBERI. hic, nisi planum facit HS. 1000 ad libellam sibi deberi, causam perdit. quid est in arbitrio? mite, moderatum, QUAS-



TYM. AEQVIVS. MELIVS. SIT. DARI. ille tamē  
confiteatur plus se petere, quam debeat; sed satis su-  
perq. habere dicit, quod sibi ab arbitro tribuatur. itaq.  
alter causae confidit, alter diffidit. Quae cum ita sint;  
quaero abs te, quid ita de hac pecunia, de his ipsis  
HS 1000, de tuarum tabularum fide compromissum  
feceris, arbitrum sumpseris, quantum aequius melius  
sit dari, repromitti ue; si pateret. quis in hanc rem  
fuit arbitri & utinam is quidem Romae esset: Romae  
est. iam utinam adesset in iudicio: adest. utinam sede-  
ret in consilio C. Pisonis: ipse C. Piso est. eundem ne

tu arbitrum, & iudicem sumebas? eidem & infinitam  
largitionem remittebas, & eundem in angustiſſimam  
formulam sponſionis concludebas? quis unquam ad  
arbitrum, quantum petijt, tantum abstulit? nemo:  
quantum enim aequius esset sibi dari, petijt. de quo  
nomine ad arbitrum adisti, de eo ad iudicem uenisti.  
ceteri, cum ad iudicem causam labefactari animaduer-  
tunt, ad arbitrum confugiunt: hic ab arbitro ad iudi-  
cem uenire est ausus: qui cum de hac pecunia, de tabu-  
larum fide arbitrum sumpsit, iudicauit sibi pecuniam  
non deberi.

EXPLANATIO

PECUNIA tibi debebatur certa, § HS 1000. Quae nunc petitur per iudicem, § nam incerta peti-  
tur ad arbitrum. LEGITIMAE partis § infra: Cum tertia parte sponſio facta est. sponſione autem  
is, qui actor erat, lacessere dicebatur, & si litem perdidisset, simul amittebat eam pecuniam, cuius fa-  
cta sponſio esset: quam fuisset ex lege tertiam eius partem, de qua litigaretur, ostendit haec oratio.  
FORMULAE § quam praetor uel iudici dat, uel arbitro: iudici, Si paret, HS 1000 deberi: subaudi,  
tantum soluat: arbitro, Quantum aequius melius sit, dari: subaudi iube. Iudicij formulam plura te-  
stantur exempla. in Diuini. Iudicium dat statim: si pateret, eam, se & sua Veneris esse dixisse. lib. II.  
in Verr. Si paret, fundum Capenatem, quo de agitur, ex iure eum P. Seruilij esse. lib. III. Si paretet,  
ingera eius modo fundi esse plura, quam colonus esset professus. Ibidem: Si paretet, aduersus edi-  
ctum fecisse. Ad libellam § ad altem. idem enim ualent: materia differunt; quod as aereus, libella  
argenteus nummus est. QUANTVM aequius melius sit dari. § praetoris formulae uerba; arbitro da-  
tae, hoc sentu: Iube, non quantum petitur, sed, quantum tibi aequius melius uideatur petitori tantum  
dari. Eiusdem formulae mentio fit lib. III. Off. Reliquorum autem iudiciorum haec uerba maxime  
excellunt, in arbitrio rei uxoriae, Aequius melius. Quibus uerbis arbitro potestas dabatur ex aequo &  
bono actimandi, quid actori dari oporteret. ALTER causae confidit, § qui ad iudicem agit. ALTER  
diffidit. § qui suam causam arbitro committit. DE TVARVM tabularum fide § quam ipsemet in du-  
bium uocas, ubi compromissum facis. ARBITRVM sumpseris, § qui compromissum facit, & arbi-  
trum sumit, certam sibi non deberi pecuniam indicat. quod Cherea cum fecerit, cur postea certam pec-  
uniam, H-S 1000, ad iudicem petit? REPROMITTI UE; § ut ex arbitri sententia, quantum aequius  
& melius esset, uel daret tibi Roscius, uel se daturum promitteret: si modo paretet, eum debere. Ad-  
didit enim Cicero, Si paretet, ut nihil prorsus debere Roscium ostenderet: quod illa formulae uerba,  
Quantum aequius & melius, aliquid eum debere significare uidebantur. EIDEM § arbitro. EVN-  
DEM § iudicem. ANGVSTISSIMAM § remittendi enim potestatem iudex non habet, sed ex formu-  
lae sponſionis, uerbi gratia, Si paret, Chereae HS 1000 Roscium debere, uel omnino condemnare  
Roscium cogitur, uel absolueret. DVAE partes causae § prior desideratur. nam de non adnumerata  
pecunia mentio supra nulla fit.

ORATIO

AM duae partes causae sunt confectae: adnume-  
rasse se se negat: expensum tulisse non dicit, cum  
tabulas non recitat: reliquum est, ut stipulatum se  
esse dicat: praeterea enim quemadmodum certam pec-  
uniam petere possit, non reperio. Stipulatus es? ubi?  
quo die? quo tempore? quo praesente? quis spon-  
dissime me dicit? nemo. Hic ego si finem faciam dicen-  
di, satis fidei, & diligentiae meae, satis causae, &  
controversiae, satis formulae, & sponſionis, satis etiam  
iudici fecisse uidear, cur secundum Roscium iudicari  
debeat. Pecunia petita est certa, cum tertia parte  
sponſio facta est. haec pecunia, necesse est, aut data,  
aut expensa lata, aut stipulata sit. datam non esse,  
Fannius confiteatur: expensam latam non esse, codices  
Fannij confirmant: stipulatum non esse, taciturnitas re-  
fium concedit. Quid ergo est? quod & reus is est,  
cui & pecunia leuissima, & existimatio sanctissima  
sunt semper; & iudex estis, quem nos non minus bene

de nobis existimare, quam secundum nos iudicare ueli-  
mus; & aduocatio ea est, quam propter eximium splen-  
dorem, ut iudicem unum, uereri debeamus: perinde,  
ac si in hanc formulam omnia iudicia legitima, omnia  
arbitria honoraria, omnia officia domestica conclusa,  
& comprehensa sint, perinde dicemus: illa superior  
fuit oratio necessaria, haec erit uoluntaria: illa ad iu-  
dicem, haec ad C. Pisonem: illa pro reo, haec pro Ro-  
scio: illa uictoriae, haec bonae existimationis causa com-  
parata. Pecuniam petis, Fanni, a Roscio: quam? dic  
audacter, & aperte: utrum, quae tibi ex societate de-  
beat, an, quae ex liberalitate huius promissa sit, &  
ostentata? quorum alterum est grauius, & oliosius;  
alterum leuius, & facilius. quae ex societate debeat  
quid ais? hoc iam non leuiter ferendum est, ne-  
que negligenter defendendum. si qua enim sunt priua-  
ta iudicia summae existimationis, & paene dicam ca-  
pitis, tria haec sunt, fiduciae, tutelae, societatis: ae-  
que enim



que enim perfidiosum, & nefarium est fidem frangere, quae continet uitam; & pupillum fraudare, qui in tutelam peruenit; & socium fallere, qui se in negotio coniunxit. quae cum ita sint: qui sit, qui socium

fraudarit, & sefellerit, consideremus. dabit enim nobis iam tacite uita acta in alterutram partem firmum & graue testimonium.

## EXPLANATIO

**R**ELIQUVM est, ut stipulatum se esse dicat. & ut haec H-S 1000 tibi a Roscio deberi per stipulationem dicat. Stipulationum duo genera, unum extra litem, alterum in lite. utrumque fiebat per interrogationem, & sponsonem. extra litem hoc modo. Cherea Roscium interrogat: Spondes ne, te mihi daturum HS 1000? ille respondet, Spondeo. Ita Roscius per stipulationem Cherea debet HS 1000. quod si Roscius non sponsondit, stipulatio esse non potest. ideo subiungit Cicero ex persona Roscij: Quis sponsondisse me dicit? nemo. Altera stipulatio est in lite, hoc modo. Petit ad iudicem C. Pisonem a Q. Roscio Fannius Cherea HS 1000, ex formula a praetore data, Si paret Roscium Cherea debere HS 1000. sponsonem facit cum tertia parte, id est, si causa cadat, Roscio daturum tertiam eius pecunia partem, de qua litem intenderat: ne scilicet calumniam impunitam ferret. eandem sponsonem Roscius quoque faciebat: sic alter alterum interrogabat, Roscius Cherea: Spondes ne, te mihi esse daturum, ni pareat HS 1000 tibi a me deberi, eius pecuniae tertiam partem, de qua me in iudicium uocas? Cherea respondebat, Spondeo. Rursus Roscium Cherea interrogabat: Spondes ne, te mihi esse daturum, si pareat HS 1000 mihi a te deberi, eius pecuniae tertiam partem, de qua te in iudicium uoco? Roscius respondebat, Spondeo. sic alter alteri, sponsonem utrimque facta, per stipulationem debebat eam pecuniam, cuius facta sponson erat. Et, quia prior sponson actoris erat, posterior rei: ideo stipulationis & restipulationis nomen locum habebat. restipulabatur enim, qui sponsonem prouocatus, eandem sponsonem facere non recusabat. unde apud Valerium Max. lib. II. cap. 3. Valerius sponsonem Catulum prouocauit, ni suo ductu Punica classis esset oppressa. Nec dubitauit restipulari Lutatius. PETITA est & ad iudicem Pisonem. CERTA, & HS 1000. CVM tertia parte sponson facta est, ut, nisi Cherea HS 1000 ad libellam probaret sibi a Roscio deberi, non modo litem perderet, sed praeterea tertiam partem pecuniae a se petita, cuius pecuniae sponson facta esset. supra: Pecunia tibi debebatur certa, quae nunc petitur per iudicem, in qua legitimaie partis sponson facta est. STIPULATAM non esse, & stipulatione promissam non esse, stipulatione non deberi. QUID ergo est? quid igitur, quod agam, relinquitur? ET REVS is est. & sic olim ex ingenio correxi. ADVOCATIO & uiri graues, qui ad reum subleuandum ad iudicium ueniebant, non ut causam agerent, sed ut praesentia suo suffragarentur. IN HANC formulam & a praetore iudici datam ex qua litigatur. LEGITIMA, & legibus constituta. HONORARIA, & sic arbiter honorarius Chrysippus uocatur in libro de Fato. aequae enim qui controuersam rem arbitro committunt, ei honorem habent, bene de illius fide, scientiaque existimantes. OMNIA officia domestica & perinde ac si agatur de quocunque iudicio legitimo, arbitrio honorario, officio domestico, ita dicam, ea persequens diligenter, quae uidentur extra causam esse; cum ea iam absoluerim, quae in causa sunt. NECESSARIA, & ad obtinendam litem. AD C. PISONEM: & ut optimum urum. PRO Roscio: & de illius uita & moribus: ut appareat, uter utrum fraudare uoluerit, Cherea Roscius, an Roscium Cherea. BONAE existimationis & ut bene de Roscio homines existiment. quod pluris etiam, quam ipsam uictoriam, probi uiri faciunt. QUORVM alterum & si pecunia, quae a te petitur, ex societate debetur. GRAUIVS, & odiosius: & quia nihil grauius & odiosius, quam socium fallere. IN ALTERUTRAM partem & uel fraudatum esse socium, uel non esse.

## ORATIO

**Q**. ROSCIVS? quid ais? non ne, ut ignis in aqua coniectus continuo restinguitur, & refrigeratur: sic referuens falsum crimen in purissimam et castissimam uitam collatum statim concidit, & extinguitur? Roscius socium fraudauit. potest hoc homini huic haerere peccatum? qui mediusfidius (audacter dico) plus fidei, quam artis, plus ueritatis, quam disciplinae possidet in se: quem populus R. meliorem uirum, quam histrionem, esse arbitratur: qui ita dignissimus est scena propter artificium, ut dignissimus sit curia propter abstinentiam. sed, quid ego ineptus de Roscio apud Pisonem dico? ignotum hominem scilicet pluribus uerbis commendo. est ne quisquam omnium mortalium, de quo melius existimes tu? est ne quisquam, qui tibi

prior, pudentior, humanior, officiosior, liberalior uideatur? Quid tu, Saturi, qui contra hunc uenis, existimas aliter: non ne, quotiescumque in causa in nomen huius incidisti, toties hunc & uirum bonum esse dixisti, & honoris causa appellasti? quod nemo nisi aut bonissimo, aut amicissimo facere consueuit. qua in re mihi ridicule es usus esse inconstans, qui eundem & lauderes, & laudares; & uirum optimum, & hominem improbissimum esse diceres. eundem tu & honoris causa appellabas, & uirum primum esse dicebas, & socium fraudasse arguebas. sed, ut opinor, laudem ueritati tribuebas; crimen gratiae concedebas: de hoc, ut existimabas, praedicabas; Cherea arbitratu causa agebas. Fraudauit Roscius. est hoc quidem auribus animiq.



amicisq. hominum absurdum. quid, si tandem aliquem timidum dementem, diuitem inertem nactus esset, qui experiri non posset? tamen incredibile esset. ueritatem, quem fraudarit, uideamus. C. Fannium Cheream Roscius fraudauit. oro, atque obsecro, uos, qui utrumque nostis, uitam inter se utriusque conferite; qui non nostis, faciem utriusque considerate. non ne ipsum caput, & supercilia illa penitus abrafa olere malitiam, & clamitare calliditatem uidentur? non ne ab imis unguibus usque ad uerticem summum, si quam coniecturam affert hominibus tacita corporis figura,

ex fraude, fallacijs, mendacijs constare totus uideatur? qui iccirco capite, & supercilijs semper est rasis, ne ullum pilum uiri boni habere dicatur. cuius personam praeclare Roscius in scena tractare consueuit. (neque tamen pro beneficio ei par gratia refertur) nam Ballionem illum improbissimum, & periurissimum lenonem cum agit, agit Cheream. persona illa, lutulenta, impura, inuisa; in huius moribus, natura, uitaq. est expressa. qui quamobrem Roscium similem sui in fraude & malitia existimari, nihil uideatur: nisi forte, quod praeclare hunc imitari; se in persona lenonis anmaduertit.

EXPLANATIO

Q. ROSCIUS? subaudi, socium fraudauit? REFERVENS? existens, ebulliens, quasi ex quodam improbitatis feruore natum. CASTISSIMAM? nullius uitij labe contaminatam. QVAM ARTIS? cum tamen arte excellat. unde adagium: Gestum agere spectante Roscio, impudentis est. CVRIA? ordine senatorio. CONTRA hunc uenis,? proprie de litibus. Phil. II. Contra rem suam me nescio quando uenisse, questus est. Phil. III. Negat se illi amicum esse debere: cum suo magno esset beneficio, uenisse eum contra se. HONESTISSIMO? hoc refertur ad eius dignitatem, qui honoris causa appellatur. LAEDERES,? laedere, interdum est, sermone detrahere, ut hic: nam, Laedares, ut contrarium inferitur. Sic in ep. ad Lentulum: Cum me disputantem, non laceissentem, laesisset, exarsi. Ad Appium: Quadam dissimilitudine institutorum meorum, actorum laedi te putat. pro, minui existimationem tuam. In ep. Trebonij: Cum, etiam si odio pari fuerit in eos, quos laesit, tamen certe non magis dignos habuerit, in quos tanta libertate uerborum incurreret. GRATIAE? cum Cherea gratificaretis. TIMIDUM dementem? si Roscius fraudasse aliquem diceretur, non Chereae similem, sed eum, qui ob timorem, dementiam, diuitias, inertiam experiri, idest litigare non posset: incredibile tamen esset. cum uero fraudasse Cheream dicitur, multo minus credibile est. NE VLLUM pilum uiri boni habere dicatur. ? nam, si capite, supercilijsq. rasis non esset: habere eum aliquid saltem boni uiri pilum, dici posset. ita non carere penitus bonitatis laude uideretur. nunc uere dici potest, nullum eum habere pilum boni uiri. NEQUE tamen pro beneficio ei par gratia refertur. ? quamquam Roscius, cum improbissimum lenonem agit, agat Cheream, & in eius moribus, natura, uitaq. personam illam lutulentam, impuram, inuisam exprimat: tamen, pro beneficio parem ei gratiam non refert, idest, ab eo grauius laesus, non plane reponit, quod deberet. BALLIONEM illum? in Pseudolo inductum a Plauto. NISI forte,? nisi putat, sui similem esse Roscium in moribus, & uita, quia se imitatur egregie in persona lenonis: in qua exprimenda Chereae quidem similis est, cum in moribus tamen, & uita dissimilis admodum sit.

ORATIO

QVAMOBREM etiam atque etiam considera, C. Piso, quis quem fraudasse dicatur: Roscius Fannium? quid est hoc? probus improbum, pudens impudentem, periurum castus, callidum imperitum, liberalis animus. incredibile est. quemadmodum, si Fannius Roscium fraudasse diceretur, utrumque ex utriusque persona uerisimile uideretur, & Fannium per malitiam fecisse, & Roscium per imprudentiam deceptum esse: sic, cum Roscius Fannium fraudasse arguatur, utrumque incredibile est, & Roscium quidquam per auaritiam appetisse, & Fannium quidquam per suam bonitatem amisisse. Principia sunt huiusmodi: Spectemus reliqua. H-S 1000 Q. Roscius fraudauit Fannium: qua de causa? subridet Saturius ueterator, ut sibi uidetur: ait, propter ipsa H-S. 1000. uideo: sed tamen, cur ipsa H-S. 1000 tam uehementer concupierit, quaero. nam tibi, M. Perperna, C. Piso, certe tanti non fuisset, ut socium fraudaretis. Roscio cur tanti fuerit, causam requiro. egebat? inno locuples erat. debebat? inno in suis nummis uersabatur. auarus erat? inno etiam ante, quam locuples, semper liberalissimus, munificentissimq. fuit. pro deum hominumq. fidem,

qui H-S. 100000.000000.000000.000000 quaestus facere noluit, (nam certe H-S. 1000000.000000.000000 merere & potuit, & debuit, si potest Dionysia H-S. 1000000.000000 merere) is per summam fraudem, & malitiam, & perfidiam H-S 1000 appetijt? & illa fuit pecunia immanis, haec paruula; illa honesta, haec sordida; illa incunda, haec acerba; illa propria, haec in causa, & in iudicio collocata. decem his annis proximis H-S sexagies honestissime consequi potuit, noluit: laborem quaestus recepit, quaestum laboris reiecit; populo R. adhuc seruire non destitit, sibi seruire iam pridem destitit. hoc tu unquam, Fanni, faceres? sed, si hos quaestus recipere posses, non eodem tempore & gestum, & animam ageres? dic nunc te ab Roscio H-S 1000 circumscriptum esse: qui tantas, & tam infinitas pecunias non propter inertiam laboris, sed propter magnificentiam liberalitatis repudiarit. Quid ego nunc illa dicam, quae uobis in mentem uenire certe scio? Fraudabat te in societate Roscius. sunt iura, sunt formulae de omnibus rebus constitutae, ne quis aut in genere iniuriae, aut ratione actionis errare possit. expressae sunt enim



venim ex unius cuiusque damno, dolore, incommodo, calamitate, iniuria publicae a praetore formulae, ad quas priuata lis accommodatur. quae cum ita sint; cur non arbitrum pro socio adegeris? Roscium, quaero. formulam non noras? notissima erat. iudicio graui experiri nolebas? quid ita? propter familiaritatem ueterem? cur ergo laedis? propter integritatem hominis? cur igitur insimulas? propter magnitudinem criminis? ita ne uero; quem arbitrum circumuenire non posses, cuius de ea re proprium erat iudicium; hunc per iudicem condemnabis, cuius de ea re nullum est arbitrium? quin tu hoc crimen aut obijce, ubi licet agere; aut iacere noli, ubi non oportet. tametsi iam hoc tuo testimonio crimen sublatum est. nam, quo tu tempore illa formula uti noluisti, nihil hunc in societatem fraudis fecisse ostendisti. Fecit pactiorem: num tabulas habet, an non? si non habet, quemadmodum pactio est? si habet, cur non nominas? Dic nunc, Roscium abs te petisse, ut familiarem suum sumeres arbitrum: non petijt. dic pactiorem fecisse, ut absolueretur: non petijt. quaere, quare sit absolutus: quod erat summa innocentia, & integritate. quid enim factum est? uenisti domum ultro Roscij: satisfecisti: quod temere commisisses in iudicium ut denunciares, rogasti ut ignosceret: te affuturum negasti: deberi tibi ex societate nihil, clamaisti. iudici hic denunciauit: absolutus est. tamen fraudis, ac furti mentionem facere audes? Perstat in impudentia. pactiorem enim, inquit, mecum fecerat. accirco uidelicet, ne condemnaretur? quid erat causae, cur metueret, ne condemnaretur? res erat manifesta: furtum erat apertum. cuius rei furtum factum erat? exorditur magna cum expectatione ueteris histrionis exponere societatem. Panurgus, inquit, fuit Fannij. is fuit ei cum Roscio communis. hic primum questus est non leuiter Saturius, communem factum esse gratis cum Roscio, qui pretio proprius fuisset Fannij. largitus est scilicet, homo liberalis, & dissolutus, & bonitate affluens, Fannius Roscio, sic puto. quoniam ille hic conlilit paullisper, mihi quoque necesse est paululum commorari. Panurgum tu, Saturi, proprium Fan-

nij dicis fuisse: at ego totum Roscij fuisse contendo, quid erat enim Fannij corpus? quid Roscij disciplina? facies non erat, ars erat pretiosa. ex qua parte erat Fannij, non erat H-S 10000; ex qua parte erat Roscij, amplius erat H-S 100000. nemo enim illum ex trunco corporis spectabat, sed ex officio comico aestimabat. nam illa membra merere per se non amplius poterant duodecim acris: disciplina, quae erat ab hoc tradita, locabat se non minus H-S 1000000 societatem captiosam, & indignam, ubi alter H-S 10000, alter, 1000000 quod sit, in societate afferi, nisi iccirco moleste pateris, quod H-S 10000 tu ex arca proferebas, H-S 1000000 ex disciplina & officio Roscius promebat. quam enim rem, & expectationem, quod studium, & quem fauorem secum in scenam attulit Panurgus? quod Roscij fuit discipulus, qui diligebant hunc, illi fauebant: qui admirabantur hunc, illum probabant: qui denique huius nomen audierant, illum eruditum, & perfectum existimabant. sic est uulgus; ex ueritate pauca, ex opinione multa aestimat. quid sciret ille, perpauci animaduertebant; ubi didicisset, omnes quaerebant: nihil ab hoc prauum & peruersum produci posse arbitrabantur. si ueniret ab Statilio, tametsi officio Roscium superaret, adspicere nemo posset. nemo enim, sicut ex improbo patre probum filium nasci, sic ex pessimo histrione bonum comoedum fieri posse existimaret. quia ueniebat a Roscio, plus etiam scire, quam sciebat, uidebatur. quod item nuper in Errote comoedo usu uenit: qui postea quae e scena non modo sibilis, sed etiam conuicio explodebatur, sicut in aram confugit in huius domum, disciplina, patrociniuum, nomen. itaque per breui tempore, qui ne in nouissimis quidem erat histrionibus, ad primos peruenit comoedos. quae res extulit eum? una commendatio huius: qui tamen Panurgum illum non solum, ut Roscij discipulus fuisse diceretur, domum recepit, sed etiam summo cum labore, stomacho, miseriaque erudit. nam, quo quisque est solertior, & ingenosior, hoc docet iracundius, & laboriosius. quod enim ipse celeriter arripuit, id cum tarde percipi uidet, discruciat.

## EXPLANATIO

**C**ASTVS, § purus, incorruptae uitae. supra: Purissimam, & castissimam uitam. **PER SE** § necessaria est praepositio, Per: ut seruetur in oppositis ordo. nam, ut dictum iam est, Per malitiam, per imprudentiam: sic debet subiungi, Per auaritiam, per breuitatem: ut bonitas hic pro negligentia quadam sumatur. Aut igitur locus emendandus: aut, Per se, pro sua sponte, dictum puto. **SATURIVS** § qui pro Cherea agebat. **VETERATOR**, § astutus. **M. PERPERNA**, § ante Pisonem iudicem appellatur, quia consularis, & censorius. Alius autem est ab eo, qui Sertorium occidit. nam ille non diu post Sertorij necem, hic autem uixit ad annos XCII. ut ait Plinius lib. VII. **TANTI non fuisse** § hoc lucrum. lib. IV. in Verrem: Fuit tanti, Est tanti. **IN SVIS NUMMIS uersabatur**. § eodem libro: In suis nummis multis esse. **NOLUIT**, § uel quod artis suae praestantia non dignum quaestum indicaret: merebat enim diurna opera, auctore Macrobio lib. III. mille denarijs: qui scutati sunt CXX: uel quia proximis decem superioribus annis quaestum reiecerat. ut infra. **DIONYSIA** § nota saltatrix: cuius nomine L. Torquatus, uir antiquae seueritatis, Hortensium appellabat, quod in gestu plus, quam deceret, haberet artis. **ACERBA**: § fraudato socio. **HAEC in causa**, & in iudicio **locata**. § dubium igitur, unius ne propria, an duorum communis. **H-S SEXAGLES** § subaudi, centena millia: scutorum CLXXX millia. loquitur non de singulorum annorum, sed de totius decenni quaestu. **SERVIRE non destitit**, § in scena. **ET GESTVM, & animam ageres**? § gestum ageres, quamdiu uiueres, ad extremam uitae horam: tum quoque gestum ageres, cum animam ipsam ageres. **Iocatur in uerbo, Ageres**, duas res, pro adiuncto nomine indicante. nam, Agere animam, est mori. **CIRCUMSCRIPTVM** § deceptum, fraudatum. **ERRARE possit**. § nam, qui erraret, causa caderet.

A PRAE-



A PRAETORE ꝑ dabat enim actori praetor iudicium cum formula. ARBITRIVM pro socio adegeris ꝑ pro, ad arbitrium egeris. IVDICIO graui ꝑ ne Roscij obesses existimationi. LAEDIS ꝑ ꝑ perfidiae notam illis conaris inurere. PER arbitrum ꝑ cui licebat, quidquid uellet. CIRCVMVENIRE ꝑ quod per arbitrum facilius esset, quam per iudicem. NVLLVM est arbitrium ꝑ ꝑ cum in angustissimam formulam sponsonis concludatur: ut supra dictum est. VBI LICET agere: ꝑ apud arbitrum, quod fecerat Cherea, sed, pactione interpolata, litigare apud arbitrum desierat. IACERE ꝑ obijcere. VBI non oportet. ꝑ apud iudicem. FORMVLA illa uti noluisti: ꝑ coeptam litem ad arbitrum persequi noluisti. Quae sit arbitrij, quae iudicij formula, iam dictum est; illa mitis, & moderata, Quantum aequius melius sit dari; haec directa, aspera, simplex, si paret H-S 1000 deberi. FACIT pactionem: ꝑ Roscius cum Fannio. id enim Fannius dicebat, ut ostenderet, ab instituto iudicio discessurum non fuisse, nisi Roscius pactionem fecisset. NVM tabulas habet, ꝑ argumentum contra Fannium. nam, si facta pactio esset, mentio fieret in tabulis. non fit mentio, ergo nulla pactio. CVR non nominas ꝑ ꝑ conuerterit sermonem a Saturio ad Fannium. VT absolueretur: ꝑ ne iudicium perageretur: ut ab arbitro dimitteretur. absolui enim uidetur, qui dimittitur. ABSOLVTVS: ꝑ iudicij molestia liberatus. dimissus ab arbitro, litem auctore non persequente. QVOD erat summa innocentia, & integritate. ꝑ quia sciebas, ab eo tibi nihil deberi. SATISFECISTI: ꝑ excusasti te, purgasti te uerbis, id enim est Satisfacere. hinc Satisfactionem accipere, pro, excusationem probare. in ep. ad Trebatium: Hic tu me etiam insimulas, nec satisfactionem meam accipis. IN IVDICIUM ut denunciaret, ꝑ subesse mendum, satis constat: de correctione diuinandum. mihi quidem placeret hoc modo: Illi iudicium ut denunciaretur. pro, ut in iudicium ad arbitrum uocaretur. RES erat manifesta: ꝑ ironia. nam, si res non manifesta, cur metueret, ne condemnaretur? si non metueret, cur pactionem faceret? EXORDITVR ꝑ Saturius. VETERIS histrionis ꝑ Panurgi. cum ironia dictum. quo modo enim uetus histrio, si eum Fannius Roscio erudiendum tradidit, & communem gratis fecit? tota igitur irrifio est, magnificis prolata uerbis; ad exprimendam Saturij ostentationem, qui, quod magna cum expectatione exorsus est, paucissimis uerbis absoluit: tantum enim hoc dixit: Panurgus fuit Fannij. is fuit ei cum Roscio communis. Qua narratione quid humiliter? NON erat H-S 1000, ꝑ non uendi potuit, si facies sine arte esset, H-S 1000: sed, quia comicum artificium didicerat, locari potuit amplius H-S 3000. DVODECIM aeris: ꝑ duodecim assibus: qui erant aerei. usitata locutio. LOCABAT SE ꝑ in perpetuum si locatus esset Panurgus, eius operae pretium non minus H-S 3000 fuisset. CAPTIOSAM, ex parte Fannij. INDIGNAM, ꝑ ex parte Roscij. STATILIO ꝑ pessimo histrione. AD PRIMOS peruenit comoedos. ꝑ plus igitur est artis in comoedo, quam in histrione. quamquam & comoedi histriones dicantur.

O R A T I O

PAVLO longius oratio mea prouecta est hac de causa, ut condicionem societatis diligenter cognosceretis. quae deinde consecuta? Panurgum, inquit, hunc seruum communem, Q. Flauius Tarquiniensis quidam interfecit. in hanc rem, inquit, me cognitorem dedisti: lite contestata, iudicio damni iniuria constituto, tu sine me cum Flauio decidisti: utrum pro dimidia parte, an pro tota societate? planius dicam. utrum pro me, an pro me, & pro te? pro me? potui. exemplo multorum licitum est: iure fecerunt multi: nihil in ea re tibi iniuriae feci: pete tu tuum: exige, & aufer, quod debetur: suam quisque partem iuris possideat, ac persequatur. at enim tu tuum negotium gessisti bene: gere & tu tuum bene. magno tuam dimidiam partem decidisti: magno & tu tuam partem decide. HS 1000 tu abstulisti: si fit hoc uero, HS 3000 tu quoque aufer. sed hanc decisionem Roscij, oratione, & opinione augere licet, & re, & ueritate mediocrem & tenuem esse inuenietis. accepit enim agrum temporibus ijs, cum iacerent pretia praediorum: qui ager neque uillam habuit, neque ex ulla parte fuit cultus: qui nunc multo plus est, quam tunc fuit. neque id est mirum. tum enim propter reip. calamitates omnium possessiones erant incertae: nunc, deum immortalium benignitate, omnium fortunae sunt certae. tum erat ager incultus, sine testo, nunc est cultissimus, cum optima uilla. Veruntamen, quoniam natura tam maleuolus es, numquam ista te mole-

stia, & cura liberabo. Praeclare suum negotium gessit Roscius, fundum fructuosissimum abstulit: quid ad te & tuam partem dimidiam, quemadmodum uis, decide. Vertit hic rationem; & id, quod probare non potest, fingere conatur. de tota re, inquit, decidisti. Ergo huc uniuersa causa deducitur, utrum Roscius cum Flauio de sua parte, an de tota societate fecerit pactionem. nam ego Roscium, si quid communi nomine tetigit, confiteor praestare debere societati. societatis, non suas lites redemit, cum fundum a Flauio accepit. quid ita satis non dedit, amplius a se neminem petiturum? qui de sua parte decidit, reliquis integram relinquit actionem: qui pro socijs transigit, satisfiat neminem eorum postea petiturum. quid ita Flauio sibi cauere non uenit in mentem? nesciebat uidelicet Panurgum fuisse in societate: sciebat. nesciebat Fannium Roscio esse socium: praecclare. nam iste cum eo litem contestatam habebat. cur igitur decidit, & non restipulatur, neminem amplius petiturum? cur de fundo decidit, & iudicio non absoluitur? cur tam imperite facit, ut nec Roscium stipulatione alliget, neque a Fannio iudicio se absoluat? est hoc primum & ex condicione iuris, & ex consuetudine cautionis grauissimum, & firmissimum argumentum: quod ego pluribus uerbis amplecterer, si non alia certiora & clariora testimonia in causa haberem. & ne forte me hoc frustra pollicitum esse praedices, te, te, inquam, Panini, ab tuis subsellijs contra te testem suscitabo.

K EXPLA-



## EXPLANATIO

**M**E cognitorem dedisti: qui agerem in iudicio, & litem curarem. **LITE contestata**, & instituta: cum scilicet praetor iudicium dedit. **DAMNI iniuria** & subauditur, Dati, ut, Damni iniuria, sint formulae uerba, quam praetor dabat: quasi, propter iniuriam damni dati. **UTRUM pro dimidia parte**, & loquitur ex persona Roscij. **SI FIT hoc uero**, & Roscius non fatetur, se decidisse cum Flauio **H-S ccc iooo**. accepit enim fundum, non pecuniam: accepit autem, quo tempore iacebant pretia praediorum, perturbata bellis civilibus rep. Si fit hoc uero: pro, Si uere fit. **ERANT incertae**; quia uictoris arbitrio, ac libidine, publica priuataq. geruntur omnia. **TUM erat ager incultus, sine telto**; quo tempore quanti erat, non aestimabat illum agrum Cherea, sed quanti, postea quam & cultissimus fuit, & optimam uillam habuit, &, rep. constituta, possessionibus omnium certis, non iacebant pretia praediorum. **NUMQUAM ista te molestia, & cura liberabo**. & perpetuo cruciaberis alieno bono. **VERTIT hic rationem**; quia duo proposuerat: Utrum pro dimidia parte; an pro tota societate: & unum absoluit, licuisse Roscio pro sua parte decidere; aggreditur alterum, Pro tota societate. Vertit, inquit, Fannius rationem; non ait Roscium pro se, sed pro tota societate decidisse. **LITES redemit**, & Roscius, accepto fundo, liberauit Flauium litibus non suis, sed societatis. Obiectio Fannij. **QUID ita satis non dedit**, & responsio Ciceronis. Si Roscius fundum illum accepit societatis nomine; cur non Flauio satisfecit, amplius ab eo neminem petiturum? aut, si non satisfecit; quis credat, ei Flauium fundum suum dedisse pro tota societate? **A SE** & ab ipso Flauio. **SIBI cauere** & per satisfactionem, acceptis sponsoribus. **LITEM contestatam habebat**. & ad arbitrum paullo ante: Me cognitorem dedisti: lite contestata, iudicio damni iniuria constituto, tu sine me cum Flauio decidisti. **CVR igitur decidit**, & Flauius cum Roscio. **NON restipulatur**, & non alligat Roscium promissione per stipulationem facta, neminem amplius petiturum. Restipulari, est hic idem, quod stipulari, sed, Restipulari, Cicero dixit, ut Flauius, qui fundum dat at, contra sibi per satisfactionem caueret. **IUDICIO non absoluitur**; litibus non liberatur, quae a Fannio, Roscij socio, imminet. **NEQUE a Fannio**; qui potest ei litem intendere pro sua parte. **AB TVIS subsellijs** & erant iudicum, actorum, reorum subsellia.

## ORATIO

**C**RIMINATIO tua quae est? Roscium cum Flauio pro societate decidisse: quo tempore? abhinc annis quattuor. Defensio mea quae est, Roscium pro sua parte cum Flauio transegisse, repromittis tu abhinc triennium Roscio, quid? recita istam restipulationem clarius. attende quaeso, Piso: Fannium inuitum, & huc atque illuc tergiversantem, testimonium contra se dicere cogo. quid enim restipulatio clamat? **QVOD. A. FLAVIO. ABSTVLERO. PARTEM. DIMIDIAM. INDE. ROSCIO. SOLVT UTRVM. SPONDEO** tua uox est, Fanni. quid tu auferre potes a Flauio, si Flauius nihil debet? quid hic porro nunc restipulatur, quod iam pridem ipse exegit? quid uero Flauius tibi daturus est, qui Roscio omne, quod debuit, dissoluit? cur in re tam ueteri, in negotio tam confecto, in societate dissoluta, noua haec restipulatio interponitur? quis est huius restipulationis scriptor? testis? arbiter? quis? tu, Piso: tu enim Q. Roscium pro opera, pro labore, quod cognitor fuisset, quod uadimonia obisset, rogasti ut Fannio daret **H-S ccc iooo**, hac condicione, ut, si quid ille exegisset a Flauio, partem eius dimidiam Roscio dissolueret. satis ne ista restipulatio dicere tibi uidetur aperte, Roscium pro se decidisse? At enim forsitan hoc tibi ueniat in mentem, repromississe Fannium Roscio, si quid a Flauio exegisset, eius partem dimidiam; sed omnino exegisse nihil. Quid? tu non exitum exactiois, sed initium repromissionis spectare debes: neque, si ille persequi noluit, non, quod in se fuit, iudicauit Roscium suas, non societatis lites redemisse. Quid, si tandem planum facio, post decisionem ueterem Roscij, post repromissionem recentem hanc Fan-

nij **H-S ccc iooo** Fannium a Q. Flauio Panurgi nomine abstulisse? tamen diutius illudere uiri optimi estimationi Q. Roscij audebit? paullo ante quaerebam, id quod uehementer ad rem pertinebat, qua de causa Flauius, cum de tota lite faceret pactionem, neque satis acciperet a Roscio, neque iudicio absolueretur a Fannio. nunc uero, id quod mirum & incredibile est, requiro, quamobrem, cum de tota re decidisset cum Roscio, **H-S ccc iooo** separatim Fannio dissoluit. hoc loco, Saturi, quid pares respondere, scire cupio; utrum, omnino Fannium a Flauio **H-S ccc iooo** non abstulisse, an alio nomine, & alia de causa abstulisse? si alia de causa; quae ratio tibi cum eo intercesserat? nulla. addictus erat tibi? non. frustra tempus contero. omnino, inquit, **H-S ccc iooo** a Flauio non abstulit neque Panurgi nomine, neque cuiusquam. si planum facio, post hanc recentem stipulationem Roscij **H-S ccc iooo** a Flauio te abstulisse; numquid causae est, quin ab iudicio abeas turpissime uictus? quo teste igitur hoc planum faciam? uenerat, ut opinor, haec res in iudicium? certe. quis erat petitor? Fannius. quis reus? Flauius. quis iudex? Cluuius. ex his unus mihi testis est producendus, qui pecuniam datam dicat. quis est ex his grauissimus? sine controversia, qui omnium iudicio comprobatus est, iudex. quem igitur ex his tribus a me testem expectabis? petitorum? Fannius est: contra se numquam testimonium dicit. reum? Flauius est: is iam pridem est mortuus: si uiueret, uerba eius audiretis. iudicem? Cluuius est. quid is dicit? **H-S ccc iooo** Panurgi nomine Flauium Fannio dissoluisse. quera tu, si ex censu spectas, eques



agnosce Roscius: si ex uita, homo clarissimus est: si ex te, iudicem sumpsisti: si ex ueritate, id, quod scire potuit, & debuit, dixit. nega, nega, nega, equiti Roscio homini honesto, iudici tuo, credi oportere. circumspicit, aequissimam, negat nos Cluuij testimonium recitatu- ros. reci-

tabimus: erras inani, & tenui spe te consolaris. recita testimonium T. Manilij, & C. Lusciij Ocreae, duorum senatorum, hominum ornatissimorum, qui ex Cluuij audierunt.

E X P L A N A T I O

REPROMITTIS? apparet omnino aliquid pecuniae Fannium a Roscio accepisse, & propterea repromississe, idest spondidisse, ei se, si quid a Flauio accepisset, dimidium daturum. Quid hic porro? Roscius. Nunc? ab hinc triennium loquitur ut de praesenti tempore, quia multo ante Roscius deciderat, & quia restipulationis uerba proxime sunt recitata. RESTIPULATUR,? cur stipulatione Fannium alligat Roscius, si pro tota societate, ut tu ais, ante annos quindecim cum Flauio decidit, & eum omni lite liberauit, omni iudicio absoluit. Hoc uerbum, Restipulari, de Roscio hic, per stipulationem alligante Fannium, usurpatur, paullo ante de Fannio, ei repromittente, & se per sponsonem obligante. infra: Qua, malum, stultitia fuit Roscius, qui ex iurisperitorum consilio, & auctoritate stipularetur a Flauio diligenter, ut, quod is exegisset a Flauio, dimidiam partem sibi dissolueret, si quidem sine cautione, & repromissione nihilominus id Fannius societati, hoc est Roscio, debebat? OMNE, quod debuit, dissoluit? haec enim criminatio tua est, Roscium cum Flauio pro tota societate decidisse. FANNIO daret H-S CCCIOOO,? quis credat, Flauio pro opera, pro labore, quod cognitor fuisset, a Roscio tantum esse datum, quantum ipse accepit a Flauio pro damno Panurgi nece accepto? multo minus fuerit, necesse est: itaque, si reponeretur, H-S CCCIOOO, moderata summa esset, scutari scilicet trecenti. EXEGISSE nihil. hoc ita refellebat Cicero. Nihil exegit, quia litem prosequi noluit, sed cum Roscio repromisit, ei se, si quid a Flauio exegisset, partem eius dimidiam daturum, ostendit Roscium pro sua tantum parte decidisse. INITIUM repromissionis? originem, & causam repromissionis Fannij. ideo enim repromisit, quia Roscium iudicabat pro sua parte, non pro societate, decidisse. NEQUE iudicio absolueretur a Fannio. supra: Cur tam imperite facit, ut nec Roscium stipulatione alligeret, neque a Fannio iudicio se absoluat? ADDICTVS erat tibi? traditus a iudice, qui eum condemnauerat HS CCCIOOO. Addicti enim dicebantur, quos praetor damnatos creditori domum duccendos tradebat. unde lib. II. de Orat. Quanti addictus? Mille nummum. Duas licet. Quam tamen consuetudinem ad haec permanisse tempora non arbitror: nam Sulla dictatore C. Pompilius praetor pro debitoribus legem tulit, ut, qui bonam copiam eiurasset, in eum creditoris nulla potestas esset, Varro lib. VI. de lingua Lat. TESTEM expectatis? si cum Fannio loquitur, Expectas, rectius uideretur, quam, Expectatis, si cum Fannio, & eius amico Saturio, qui contra Roscium uenit, aut etiam si cum iudice Pisone, & ijs, qui aderant in consilio, recte legitur, Expectatis. nam, Spectabis. ut est in uulgaris libris, mendosum esse constat. Nec placet, Expectabis: quia uis in praesenti tempore maior est, quam in futuro. EX CENSU? equestris census fuit CD millia, idest, duodecim scuatorum millia. EQVES Romanus est: ergo post legem Aureliam, quae iudicia inter tres ordines communicauit, acta causa est. POTUIT & debuit,? quia iudex fuit. QUI EX Cluuij audierunt. apparet, eam haec ageretur causa, Cluuium abfuisse. nam, si adesset, testimonium eius recitaretur, non eorum, qui ex iplo audissent.

O R A T I O

UTRUM dicis, Luscio, & Manilio, an & Cluuij non esse credendum? planius, atque apertius dicam: utrum Luscius, & Manilius nihil de HS CCCIOOO ex Cluuij audierunt, an Cluuius falsum Luscio, & Manilio dixit? hoc ego loco, soluto & quieto sum animo: & quorsum recidat responsum tuum, non magno opere laboro: firmissimis enim, & sanctissimis testimonijs uirorum optimorum causa Rosciij communita est. si iam tibi deliberatum est, quibus abrogas fidem iurifurandi: responde. Manilio, & Luscio negas esse credendum? dic, aude. est tuae contumaciae, arrogantiae, uitaeque uniuersae uox. quid expectas, quam mox ego Lucium, & Manilium dicam ordine esse senatores, aetate grandes nati, natura sanctos & religiosos, copijs rei familiaris locupletes, & pecuniosos? non faciam: nihil mihi detrahiam, cum illis exactae aetatis suerissime fructum, quem meruerunt, retribuam.

magis mea adolescentia indiget illorum bona existimatione, quam illorum seuerissima senectus desiderat meam laudem. Tibi uero, Piso, diu deliberandum, & concoquendum est, utrum potius Chereae iniurato in sua lite, an Manilio, & Luscio iuratis in alieno iudicio credas. Reliquum est, ut Cluuium falsum dixisse Luscio, & Manilio contendat. quod si facit, qua impudentia est? eum ne testem improbat, quem iudicem probat? ei negabit credi oportere, cui ipse crediderit? eius testis ad iudicem fidem infirmabit, cuius propter fidem & religionem iudicis testes comparabat? quem ego si ferrem iudicem, refugere non deberet; cum testem producam, reprehendere audebit? Dixit enim, inquit, iniuratus Luscio, & Manilio. si diceret iuratus, crederes? at quid interest inter periurum, & mendacem? qui mentiri solet, peiorare consueuit. quem ego, ut mentiatur, inducere possum; ut peieret, exorare



rare facile potero. nam, qui semel a veritate deflexit, hic non maiore religione ad periurium, quam ad mendacium, perducitur consuevit. quis enim deprecatione deorum, non conscientiae fide, commouetur? propterea, quae poena ab dijs immortalibus periuro, haec eadem mendaci constituta est. non enim pactione verborum, quibus iusiurandum comprehenditur, sed ex perfidia, & malitia, per quam insidiae tenduntur ali-

cui, dijs immortales hominibus irasci, & succensere consueverunt. At ego hoc ex contrario contendo. leuior est auctoritas Cluuij, si diceret iuratus, quam nunc est, cum dicit iniuratus. tum enim forsitan improbis nimis cupidus uideretur, qui, qua de re iudex fuisset, testis esset: nunc omnibus inimicis, necesse est, castissimus, & constantissimus esse uideatur, qui id, quod scit, familiaribus suis dicit.

## EXPLANATIO

**N**IHIL mihi detrahatur, § qui adolescens, qui homines aetate grandes laudet, arroganter facit, & sibi potius detrahit: cum ipse magis illorum indigeat testimonio, quam illorum senectus eius laudem desideret. **CONCOQUENDVM** § statuendum. translatio a cibis, qui comeduntur, & concoquuntur. **CVIVS propter fidem** § ita coniunge: Cuius iudicis ob fidem & religionem. **Hic non maiore religione** § non plus huic in peierando, quam in mentiendo, religionis est: cui religio non est, mentiri, eidem, peierare, non est. **DEPRECATIONE deorum**, § qui deprecatione deorum in peierando, idem in mentiendo conscientiae fide commouetur. Deprecatur deos, idest alienat, a se, remouet is, qui peierat: sic, Deprecari bellum, ignominiam, & similia, dicitur. **NIMIS cupidus** § gratificandi Roscio. **CASTISSIMVS**, § integerrimus. supra Castus opponitur Periuro.

## ORATIO

**D**ic nunc, si potes, si res, si causa patitur, Cluuium esse mentitum. mentitus est Cluuius? ipsa mihi ueritas manum iniecit, & paullisper consistere, & commorari cogit. Unde hoc totum ductum, & conflatum mendacium est? Roscius est uidelicet homo callidus & uersutus: hoc initio cogitare coepit: quoniam Fannius a me petit HS 1000, petam a C. Cluuius, equite R. ornatissimo homine, ut mea causa mentiat; dicat decisionem factam esse, quae facta non est; HS 1000 a Flauio data esse Fannio, quae data non sunt. est hoc principium improbi animi, miser ingenij, nullius consilij. quid deinde? Postea quam se praeclare confirmauit, uenit ad Cluuium, quem hominem? leuem? immo grauissimum: mobilem? immo constantissimum: familiarem? immo alienissimum. hunc postea quam salutauit, rogare coepit, & blande & concinne scilicet: mentire mea causa; uiris optimis, tuis familiaribus, praesentibus dic Flauium cum Fannio de Panurgo decidisse, qui nihil transegit: dic HS 1000 dedisse, qui assen nullum dedit. Quid ille? ego uero cupide & libenter mentiar tua

causa: & si quando me uis peierare, ut paullulum tu compendij facias, paratum fore scito. non fuit causa, cur tantum laborem caperes, & ad me uenires: per nuncium hoc, quod erat tam leue, transigere potuisti. Pro deum hominumque fidem: hoc aut Roscius unquam a Cluuius petisset; si H-S millies in iudicium haberet; aut Cluuius Roscio petenti concessisset, si uniuersae praediae particeps esset? uix medijs fidus tu, Fanni, a Ballione, aut aliquo, eius simili, hoc postulare auderes, & impetrare posses: quod cum est ueritate falsum, tum ratione quoque est incredibile. obliuiscor enim Roscium & Cluuium uiros esse primarios: improbos, temporis causa esse fingo. falsum subornauit testem Roscius Cluuium? cur tam sero? cur, cum altera pensio soluenda esset, non tum, cum prima: nam iam antea H-S 1000 dissoluerat. deinde, si iam persuasum erat Cluuius, ut mentiretur; cur potius H-S 1000, quam 1000. 1000. 1000. 1000. 1000. 1000. 1000. 1000. data dixit Fannio a Flauio, cum ex restipulatione pars eius dimidia Roscij esset?

## EXPLANATIO

**C**ONFIRMAVIT § in hac tam improba cogitatione. **HS MILLIES** § tricies centena scutorum millia. **IN IUDICIUM haberet**: § a iudicio expectaret: si HS millies in iudicio ageretur, locutio paruus usitata: quamquam, esse in potestatem, simili fere modo dicatur. **A BALLIONE**, § ab impuerrimo illo lenone, qui est apud Plautum in Pseudolo: de quo supra. **ALTERA pensio** § a Roscio opera, pro labore, quod cognitor fuisset, quod uadimonium obisset, pecuniam solueret. eius pecuniae soluta prima pensio erat, secunda restabat. **NON TVM, cum prima** § nam, si subornare falsum testem Roscius Cluuium uoluisset, certe subornasset potius ante, quam primam pensionem solueret. non enim eam soluisset, nisi Fannius ei dimidium eius dedisset, quod a Flauio exegisset, cuius restipulationis uerba supra recitata sunt. **HS 1000** § ut in eo loco, Rogasti ut Fannio daret HS 1000, uideri pecuniae nimium dixi, & legendum potius, 1000; sic hoc in loco, ut ea pecunia diuidatur in pensiones duas, pro 1000 reponendum puto, 1000.

ORAT.



O R A T I O

**I**AM intelligis, C. Piso, sibi soli, societati nihil Roscium petisse. hoc cum sentit Saturius esse apertum, resistere, & repugnare contra veritatem non audent: aliud fraudis, & insidiarum in eodem uestigio diuerticulum reperit. petisse, inquit, suam partem Roscium a Flavio confiteor: uacuum, & integram reliquisse Fannij, concedo: sed, quod sibi exegit, id commune societatis factum esse contendo, quo nihil captiosius, neque indignius potest dici. Quaero enim, potuerit ne Roscius ex societate suam partem petere, nec ne? si non potuit, quemadmodum abstulit? si potuit, quemadmodum non sibi exegit? nam, quod sibi petitur, certe alteri non exigitur. an ita est? si, quod uniuersae societatis fuisset, petisset; quod tum exactum esset, aequaliter omnes partirentur: nunc, cum petierit quod suae partis esset, non, quod abstulit, soli sibi exegit? Quid interest inter eum, qui per se litigat, & qui cognitor est datus: qui per se litem contestatur, sibi soli petit: alteri, nemo potest, nisi qui cognitor est factus. ita ne uero? cognitor si fuisset tuus; quod uicisset iudicio, ferres tuum: suo nomine petyt; quod abstulit, tibi non sibi exegit: quod, si quisquam petere potest alteri, qui cognitor non est factus: quaero, quid ita, cum Panurgus esset interfectus, & lis contestata cum Flavio damni iniuria esset, tu in eam litem cognitor Roscij sis factus? cum praesertim ex tua oratione, quodcumque tibi peteres, huic peteres; quodcumque tibi exigeres, id in societatem recideret. quod, si ad Roscium nihil perueniret, quod tu a Flavio abstulisses, nisi te in suam litem dedisset cognitorem: ad te perue-

nire nihil debet, quod Roscius pro sua parte exegit, quoniam tuus cognitor non est factus. quid enim huic rei respondere poteris, Fannij? cum de sua parte Roscius transegit cum Flavio, actionem tibi tuam reliquit, an non? si non reliquit, quemadmodum H-SECCICCCC ab eo postea exegisti? si reliquit, quid ab hoc petis, quod per te persequi & petere debes? simillima enim, & maxime gemina societas hereditatis est. quemadmodum socius in societate habet partem: sic heres in hereditate habet partem, ut heres sibi soli, non coheredibus, petit: sic socius sibi soli, non socijs, petit: & quemadmodum uterque pro sua parte petit, sic pro sua parte dissoluit; heres ex sua parte, qua hereditatem adit; socius ex ea, qua societatem coijt. quemadmodum suam partem Roscius suo nomine condonare potuit Flavio, ut eam tu non peteres: sic cum exegit suam partem, & tibi integram petitionem reliquit, tecum partiri non debet. nisi forte tu peruerso more, quod huius est, ab alio extorquere non potes, huic eripere potes. Perstat in sententia Saturius; quodcumque sibi petat socius, id societatis fieri, quod si ita est: qua, malum, stultitia fuit Roscius, qui ex iuris peritorum consilio & auctoritate restipularetur a Fannio diligenter, ut, quod is exegisset a Flavio, dimidiam partem sibi dissolueret; si quidem siue cautione, & repromissione nihilo minus id Fannius societati, hoc est Roscio, debebat?

desiderantur non pauca.

E X P L A N A T I O

**I**N EODEM uestigio? statim. sic, E uestigio, dicitur. **Q**UEMADMODUM non sibi exigit? id est ergo sibi exegit, non, quod tu ais, societati. **L**ITEM contestatur, & litem intendit: accipit a praetore iudicium, ut litiget. **Q**UOD si quisquam petere potest alteri, & alteri nemo petit, nisi qui cognitor est factus: Roscius cognitor non est factus: quo modo igitur tibi petit? **D**AMNI iniuria? formulae uerba: & subaudiendum, Dati. supra: Lite contestata, iudicio damni iniuria constituto. **Q**UODCUMQUE tibi peteres, & cum esses cognitor Roscij. **Q**UODCUMQUE tibi exigeres, & non cum esses cognitor Roscij, sed cum post aliquot annos sponsonem illam fecisti: Quod a Flavio abstulero, partem dimidiam inde Roscio me soluturum spondeo. **N**ISI te in suam litem dedisset cognitorem: & inde enim accidit, ut pro opera, pro labore, quod cognitor fuisses, quod uadimonia obisses, pecuniam tibi Roscius, duabus pensionibus solutendam, rogante Pifone promitteret; tu autem contra, si quid a Flavio exegisses, dimidium eius te Roscio daturum repromitteres. **A**B EO? a Flavio. **H**UIC eripere potes. & quod falsum est. nam, ut a Flavio Roscij partem extorquere non posses, sic eam Roscio eripere non potes. quod, si posse te putas, peruerso more agis. aut enim utrumque licet, aut neutrum. illud non licere constat, cur hoc licere uis? **Q**UAE, malum, stultitia fuit Roscius, & ante multos annos minima correctione, distinctione mutata, locum restitui. legebatur, & distinguebatur hoc modo: Quae, malum, stultitia fuit? Roscius, qui. **R**ESTIPULARETUR a Fannio, & restipulationem sumeret a Fannio.

IN. ORAT.



IN. ORATIONEM. CICERONIS  
QVAE. DIVINATIO. DICITVR  
PAVLLI. MANVTII  
COMMENTARIVS



ARGVMENTVM



ARGVMENTI loco pauca dicam : quia *Pedianus* admodum diligenter hoc munus exsecutus est. *C. Cornelius Verres* (nam *Corneliae* gentis eum fuisse, indicant lib. 1. § 111. libertorum nomina) per triennium *Siciliae* praesuit ; ubi cum auare multa, crudeliter, libidinosè gessisset, repetundarum a *Siculis* postulatus est. ij sibi patronum ob eas causas, quae in hac oratione exponuntur, *Ciceronem* delegerunt. Sed, cum accusandi munus ad se potius pertinere *Q. Caecilius Niger Siculus*, qui *Verris* quaestor fuerat, contenderet ; orta contentione, *Cicero* hanc orationem habuit, quae *Divinatio* dicitur ; quia iudices, remotis testibus, & tabulis, argumenta sola sequantur, & quasi diuinent, uter debeat accusare.

